



The Holy See

PAULUS PP. VI

EPISTULA

*DIES, QUI**

AD E.MUM P. D. RICHARDUM SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE PRESB. CARDINALEM
CUSHING, ARCHIEPISCOPUM BOSTONIENSEM, QUINQUE EXACTA LUSTRA AB ACCEPTA
EPISCOPALI CONSECRATIONE CELEBRATURUM.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.

— Dies, qui tibi, Dilecte Fili Noster, semper exspectatus acceptusque anni revehitur circulo, mox animo tuo effusiolem afferet religiosam laetitiam: quinque enim condentur lustra, postquam episcopali consecratione adauctus es.

Pro benevolentia et egregia existimatione, quibus te prosequimur, tibi episcopatus tui natalem recensenti, et inde divite vena exortam fluentemque divinorum donorum copiam recolenti, gratulationes proferimus, vota facimus, hortationes admovemus. Quod, superna auxiliante gratia, perfecisti in gloriam Dei amplificandam, in emolumentum et decus archidioecesis Bostoniensis, in catholici quoque nominis utilitatem, id merito Nostro praeconio laudis care re non sinimus.

Bonus et pervigil sacer pastor, cui praesidere est servire, cui praeeminere est diligendo iuvare et iuvando diligere, sollicitudines curasque tuas ita in commissas Christi oves impendisti, ut, quantum fieri possit, nihil eis desit praesidiorum, quae ad Dei cultum promovendum et ad christianae vitae auctum et florem fovendum conducere possunt. Archidioecesis profecto ista sapienti moderatione ita instructa est, ut sacerdotum numero, religiosis sodalitatibus, catholicis scholis et collegiis, actione sociali, christianae doctrinae institutione, beneficentiae aptis inceptis insigniter floreat. In pastoralis munere fungendo, veluti bonus paterfamilias, profers de thesauro tuo nova et vetera (1), sciens novas rationes novis necessitatibus hominum aptare, haud omnino tamen relictis usu et

experientia rerum probatis solidissimis viis. Liberalitas animi opumque, profecto insignis et nobilis laus, mores tuos et christifidelium, quorum ductui et profectui consulis, decorat. Qua fruita sunt et fruuntur praesertim missionarium inceptorum campus et regiones Americae Latinae, ubi generosa auxiliorum vestrorum copia multigenae inopiae ecclesiarum haud sine spectabili fructu et laetis incrementis rerum occurritur, cum primis ope providentissimi operis a te conditi, quod a S. Iacobo Apostolo nomen sumit.

Cuncta felicia et salutari a tibi in praesens percipientes, Christum Iesum, Pontificem aeternum, coronam Praesulum, auctorem et consummatorem fidei nostrae, deprecamur, ut potioribus usque donis propitiationis Suae te exornet et ditet. Quorum id apprime optabile et magni ducendum esse videtur, ut sanctitatem Eius sive bonorum operum numquam intermissa serie et absolute, sive crescenti et flammanti Eius amore magis magisque sequaris. Volumus tuis gressibus motibusque mentis praelucere vibrantia et dulcia dicta, quibus S. Gregorius Nazianzenus se se ad devovendum se Christo exstimulabat: «Tibi vivo, tibi loquor, tibi sedeo, o Rex Christe — Tibi moveo pedum vestigia, quoniam tu me manu tegis — Me igitur et nunc perducas ad bonum finem itineris» (2).

Haec libenter accipe bene ominantia et hortativa verba, quibus anniversarium agendum diem tibi iucundamus, cum pro comperto habere debeas Nobis parere gaudium, ea quae tibi eveniunt votis tuis dignis impletione congruentia. Quo autem fructuosior anniversarius dies tuus evadat, libenter id tibi facultatis facimus, ut postquam sollempni ritu divinis operatus eris, Nostro nomine Nostraque auctoritate adstantibus christifidelibus benedicas, proposita plenaria Indulgentia, ad Ecclesiae legem lucranda.

Tibi denique, Dilecte Fili Noster, et sollertibus Episcopis Auxiliaribus tuis, gregique universo, cui sacer pastor consulis, Apostolicam Benedictionem, praecipuae caritatis Nostrae pignus, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXII mensis Maii, anno MCMLXIV, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 9, pp. 563-565(1) Cfr. *Matth.* 13, 52.(2) *Carm.* I, 1, 36, vv. 31-33; *Migne*, P. G. 37. 519.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana